

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 60

Ego in Dei nomine Guntherus cogitans de Dei intuitu vel remedio anime mee aliquid dare ad loca sanctorum, idcirco dono ad ecclesiam sancti Petri, ubi sanctus Willibrordus corpore requiescit, res meas in pago Muslense in loco qui dicitur Odinga prope fluviolo Gandra et omnia que ibi visus sum habere, id est tam terris, campis, pratis, pascuis, silvis, casis, mansis, aquis aquarumve decursibus et omnia que ibi visus sum habere. Si quis vero de heredibus meis – ut supra. Actum I anno regnante Karlomanno rege.